

Phison fluvius.

2282 Fluvius primus appellatur Phison, a voce, quae crescere, & multiplicare significat, quasi multitudinem, copiam, & exuberantiam prae se ferat. Communiter Ganges esse existimatur, in quem decem magna flumina se exonerant: circuit terram Hevilath, id est, Indiam, uti Rabanus hic, & multi alii probant. Phison, ait ille, fluvius est, qui & alio nomine Ganges dicitur, & exiens de paradiso pergit ad Indiae regiones. Dicitur autem Phison, id est, catarva, quia decem fluminibus magnis sibi adjunctis impletur, & efficitur unus. Ganges autem vocatus a Rege Gangaro Indiae. Flumen hoc (ut facer textus ait) ramentus auri, prasino lapillo, seu smaragdo, bdellio, sive carbunculo nobilitatur; est enim aurifer, & gemmifer, ut Plinius etiam docet. Vide S. Ambrosii lib. de Paradiso cap. 3.

Geon quis?

2283 Secundus fluvius est Geon, qui & ab Ecclesiae Patribus, & veteribus Scripturibus Nilus putatur; circuitque terram Aethiopiae, ubi regnat Prae Joannes LXX. Interpretes pro Nilo Jeremiae 2. 18. transfudere Geon: sic vocatus quod incremento suae inundationis terram Aegypti irriget: ἦν, enim Graecè, Latine terram significat. Apud Aegyptios Nilus vocatur, propter limum, quem trahit, qui efficit fecunditatem. De causa inundationis Nili sive Geon, lege nostras Conimbricenses in Mereora Tractatu 9. cap. 10. qui ex Aristotele, & multis aliis probant pluvias, quae in superioribus partibus, quibus eo tempore hyems est, quo in Aegypto est aestas, tum ob hyemem, tum ex peculiari coeli, & sideris alicujus influxu, stato tempore abundare, & in Nilum cum nivibus a se in aquam resolutis defluere. Sic Nilus exundatione sua oblimat, impinguat, & foecundat agros: sic Aegyptus omnem suam fertilitatem haurit a Nilo: Geon cum aquarum copia affluit agris, ut illam in illos largè effundat, in die vindemiae: vel, uti Camerarius, ut Nilus in autumno; in aestate post messem, quae in Aegypto fit in Majo, nempe sub solstitium aetivale, sub quod tempus ibidem fit vindemia.

Tigris quis?

2284 Tertium flumen est Tigris, de paradiso exurgens, & pergens contra Assyrios, & post multos circuitus in mare mortuum influens. Vocatur autem hoc nomine propter velocitatem, instar bestiae nimia pernicitate currentis. Vel Tigris dicitur a sagittarum velocitate; nam Medi sagittam rivum vocant. Hebraice appellatur chiddebel, acutus & levis ob velocissimum cursum. Intumescit hic fluvius, & exundat in diebus novorum, ut ait Siracides, id est, veris tempore, vel novarum frugum temporibus, vel quando omnia renovantur. Novus enim id significat a נָוָה, id est, novus, juvenis, novalis, a quo est נָוָה, in diebus novarum, nempe in Martio, qui vocatur mensis novorum; eo enim omnia velut nova nascuntur. Unde S. Hieronymus in Commentario Aggaei cap. 2. Nisan apud Hebraeos mensis primus, qui appellatur mensis novorum, eo tempore, quo pascha faciunt, id est, incipiente veris exordio: qui secundum lunae cursum saepe quandam partem mensis Martii possidet, interdum incipit in Aprili. Hoc tempore Tigris exundare dicitur, quia tunc nives hyeme constrictae liquantur, & in illum influunt copiosissime.

Euphrates.

2285 Fluvius quartus Euphrates nominatur. Rectè hic Rabanus scribit: Euphrates

fluvius Mesopotamiae de paradiso exoriens, copiosissimus gemmis, qui per mediam Babyloniam insluit: hic a fructibus, vel ab uberitate nomen accepit. Nam Hebraice Ephrata, fertilitas interpretatur. Mesopotamiam enim in quibusdam locis ita irrigat sicut Nilus Alexandriam. Sallustius autem auctor cerussimus asserit, Tigrim & Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividuntur, spatio medio relicto multorum millium, quae tamen terra, quae ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. Haec Abbas Fuldenis. Flumen Euphrates est mirè crescens, & exundans, plenas promens, fundensque aquas, quibus terrae foecundantur.

2286 Praeter haec quatuor flumina Paradisi sacra, Jordanis meminit noster Siracides; quia & fluvius sacer est terra sancta, quam interluit, & ex miraculoso transitu Hebraeorum per illum, duce Josue capite tertio, necnon ex Christi Baptismo. De illo sic Fuldenis Abbas: Jordanis Indiae fluvius, a duobus fontibus nominatus, quorum alter vocatur Ior, alter Dan. His ergo procul a se distantibus in unum alveum siederatis, Jordanis deinceps appellatur. Nascitur autem sub Libano monte, & dividit Judaeam, & Arabiam, qui per multos circuitus juxta Jericho in mare mortuum insluit. Tempore messis exundare dicitur a Siracide, respiciente ad locum Josue tertio, decimo quinto, Jordanis autem ripas alvei sui, tempore messis impleverat. Hinc Aristoteles de LXX. duobus Interpretibus sic scribit de Jordane locutus: Fluvius iste perinde ut Nilus circa tempora messis exundans multum terra irrigat. Exundat quidem eo tempore, quia in vicinis montibus liquatae per aestum nives, aquae copiam in Jordanem immittunt; sicut in Tigrim Mense Nisan, id est, Martio. Unde Syrus vertit: Et sicut Jordanis in diebus Nisan. Vide dicta superius a n. 475. ubi de Jordanis origine quid scitu dignissimum observavimus.

2287 Observandum hic quoque nonnihil ad illa verba, Qui mittit disciplinam sicut lucem. Sicut infra versu quadragesimo quarto, Doctrinam quasi antelucanum illumino. Graecè, ut diluculum illustro. Si verò Siracides avus scripsit Hebraice Nabar, quod admodum credibile est, potest reddi, tanquam rivus; nam Nabar significat illuminare, & confluere, & fluvium, in quem confluunt aquae. Unde Syrus vertit: effundit sicut fluvius doctrinam. Et non improbabiler putat Drusus per flumen hoc Nilum innui, cujus alibi nusquam meminit Siracides; existimat quippe eos omnino errare, qui Geon Nilum esse arbitrantur.

2288 His igitur positis, ita Ecclesiastici verba ordinanda, Christus, qui est Incarnata Dei Sapientia personalis, notionalis, implet, implens erit, implebit, plenè effundet, abundare faciet sapientiam creatam, & suis communicatam creaturis, Angelis, & Homini-bus perinde ac Phison & Tigris abundant aquis, atque illas effundunt longè lateque omnia irrigantes, & foecundantes. Rursus, sensum adimplet, sive intelligentiam, vel juxta Figurianam, foecundat ingenium, sicut Euphrates plenas fundit aquas: & sicut Jordanis exundans, multiplicat eundem sensum, eandem intelligentiam. Deinde, disciplinam mittit

Jordanis.

Raban.

Aristeas.

כה

Verborum sensus, & ordinatio.

mittit sicut lucem: nam cum ipse sol justitiae sit, puritatis, misericordiae, suos radios in omnem hominem mittit, quasi lucis fluvium. Denique, nobis ipse assistit, praetò adest, cum copia suae sapientiae & doctrinae, neut Geon intumescens, cum aquarum exuberantia agris affluit. Itaque opportunè laus Christus Dominus se comparat celeberrimis illis fluminibus: nam quemadmodum illa aquae exuberant, ita sapientia Christus; & sicut illa terras irrigant & foecundant, ita Christus doctrinam suam mundum universum; ut tanta proveniat Doctorum ubertas, Theologorum, Confessorum, Pontificum, Martyrum, Virginum, & fidelium in omni Christiana sapientia praestantissimorum.

2289 Etenim Sermonem hic esse omnino litterarum de Christiana sapientia, & Evangelica Doctrina a Christo Domino Mundi Magistro tradita, & ab illo, uti a fonte & scaturigine, abunde promanante, extra omnem mihi est dubitationem. Huc spectant Interpretes sacri: & illi praefertur, qui in quatuor illis sacris Paradisi fluminibus totidem agnoscunt sanctissima Evangelia, quibus universa veteris testamenti Scriptura feliciter explanatur, & consignata habetur omnis Christi Doctrina. Ita sentiunt Sanctus Ambrosius libro de Paradiso, Sanctus Augustinus de moterio de Civitate Dei cap. vigesimo primo, Sanctus Petrus Damianus Sermone decimo quarto, & quinquagesimo, Sanctus Anastasius Sinaita libro septimo in Exameron, Lyranus, & Rabanus in Ecclesiastico, ita: Quatuor flumina Paradisi ex uno fonte procedentia significant ex Domino nostro Jesu Christo, vero filio Dei, necnon & vero filio hominis, hoc est, David, quia ex ejus semine secundum carnem natus est, quatuor Evangelia procedere, quae totam terram nationum praedicatione sua irrigant, & credentes in Christo multiplicè virtutum fructus germinare faciunt. Lyranus verò pressius: Per haec quatuor flumina intelligitur foecunda Christi doctrina in quatuor Evangelis descripta.

Rabanus.

Lyranus.

Rabanus.

Mar. 16. 13.

Palacio.

2290 Rogabis, quò spectet Jordanis fluvius quatuor illis adjunctus? Respondet Fuldenis Abbas Rabanus: Ab eo (nempe Christo) Jordanis alveus procedit, quia baptismi Sacramentum ad abluenda crimina generis humani, hujus dispensatione in mundum venit. Haud inepta quidem interpretatio: cum Christus adfoecaverit cum doctrina Evangelica Baptismi Sacramentum, Marci decimosexto v. decimo quinto, Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Si verò illa non arrideat; dicendum, quatuor illis fluminibus adfoecari Jordanem tempore messis exundantem, ut majus Evangelicae doctrinae augmentum designetur: ideò dicitur: Qui multiplicat quasi Jordanis. Quòd autem additur de luce: Qui mittit disciplinam sicut lucem: nova metaphorà explicat Evangelii dignitatem & excellentiam, orbem illuminantis, longè amandatà errorum caligine. Quid enim lucis metaphorà crebrius in sacris litteris pro designanda Christi Doctrina?

2291 Denique non inspidè sic observat Paulus de Palacio, doctus in Conimbricentium Academia sacrae Scripturae Professor. In die Pentecostes hic textus impletus est: quo

Pater implevit veram in cordibus hominum sapientiam, seu sapientiam scientiam: quo datus est sensus, ut Apostoli intelligerent scripturas: denique quo disciplina spiritalis velut lux orbi exorta est; nam ceterus manca videbatur sapientia, sensus, disciplina: tunc verò impleta sunt, & multiplicati, magnoque impetu in Christianos effusa, quemadmodum magno & largissimo impetu horum quinque fluviorum aquae decurrunt.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Christo Domino.

SECTIO II.

Christi Doctrina, non imbellis, sed bellatrix, non infirma, sed fortissima.

2292 CUM Siracides Christum Dominum Regem fortissimum nominasset ex Davide nasciturum, continenter de ejus divina Sapientia & Evangelica Doctrina, illis decantatissimis fluminibus multò latiore, & augustiore, fermocinatur. Et quidem arcanè & sententiosè cum Regia ac divina fortitudine Christianam Sapientiam & Doctrinam adfoeciat, ut hanc ostendat non imbellem, sed bellatricem esse; non infirmam, sed fortissimam, quae possit fortia quaeque dura & dira omnia aggredi, & superare; atque ita universo terrarum orbi dominari, ut verè dominica a est. Neque abs re à Siracide exprimitur excitandus ex Davide ille fortissimus & sapientissimus Rex: nam de Davide illud habes secundo Regum vigesimo tertio v. 8. Sedens in Cathedra sapientissimus princeps inter tres. Ipse est quasi tenerimus ligi vermiculus, qui interfecit octingentos impetu suo. Quasi in Davide fortissimo & sapientissimo Rege, Christi proavo & typo, praeluxerit Evangelica nepotis sui sapientia nimio opere bellatrix, & foris.

Christus in Davide fortissimus & sapientissimus per figuram Regum.

Evangelica doctrina rapidissimis fluminibus comparata.

Isai. 59. 19.

2293 Atque huc spectant etiam fluvii Phison, Tigris, Euphrates, Jordanis, & Geon, quibus Christiana comparatur Doctrina: cum enim copiosa, violenta, ac rapidissima flumina sint, quae suo impetu obstantia quaeque Evangelii robori & fortitudini designandae, cui nulla valeat adversa potestas obistere. Quod Isaias cap. 59. 19. praclare exprimit sub eadem exundantis fluminis metaphora. Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu solis gloriam ejus: cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit. De copia & efficacia Evangelicae Doctrinae & praedicationis sermo, &c. quae unius nudaè minime conclusa lateribus, per omnes mundi partes exuberavit, tantà utique vi, tamque vehementi Spiritu, ut nulla potentia, sapientia, eloquentia & prudentia poterit resistere, quin totum orbem certamine pervaserit, & Christo subtraverit. Perinde ac fluvius violentus à vento raptus & propulsus, cujus in praecipitantis rursus nullus sistere aut impedire valet, quin exundans omnia obruat, & pessundet. Verè igitur quasi fluvius violentus: vel ex Theodotionis versione, quasi fluvius oppugnans, Doctrina Evangelica bellatrix fortissima. Sed haec aliunde illustremus.

2294 Isaiæ



Isaia. 6. 9. 2294 Isaia 9. 6. appellatur Christus admirabilis consiliarius, & Deus fortis, Hebraice heros fortis, validus quasi Gigas. Etenim consiliarius nominatur, vel ut LXX. reddunt, magni consilii Angelus, quia est ipsa Dei Patris Sapientia, Doctor Angelorum & hominum, ut explicat Clemens Alexandrinus sexto Stromatum. Vel consiliarius vocatur; quia, ut ait Sanctus Iustinus contra Tryphonem, Patrem nemo novit nisi Filius, qui que à Patre accepit, revelat nobis, ipse Verbum Patris, ipse mundo Evangelizavit. Ideo magni consilii Angelus, nuntius, legatus. Ituc Christi Evangelicæ sapientiæ, & doctrinæ ad sociat Isaia bellicam & Giganteam ejusdem fortitudinem, qua mundum expugnavit universum, & potentissimum diaboli regnum evertit. Quod præsignatum, ait idem Vates, Gedeonis triumpho de Madianitis reportato, non nisi tubarum clangore, & ardentibus lampadibus in vasis testaceis: utrumque enim ad Evangelicæ prædicationis virtutem referunt Ecclesiæ Doctores: Designatur in tubis clamor prædicantium, ait S. Gregorius libro 30. Moralium capit. 17. Præfiguravit Deus (addit S. Augustinus quæstio. 49. in Judices) sanctos suos thesaurum Evangelici luminis in vasis fictilibus habituros. Rectè ergo Isaia Christum fortissimum Dei consiliarium commendans: Jugum oneris ejus (quo Gentes à peccato & diabolo premebantur) & Virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superastit, sicut in die Madian. 2295 Consonat Isaia vaticinio Apocalypica visio capit. 10. ubi describitur ille idem magni consilii Angelus Christus Dominus vel in se, vel in suis prædicatoribus, librum Evangelicum manu tenens symbolicè adumbrantem, Christianam doctrinam à mundi Magistro traditam: Et habebat in manu sua libellum apertum. Ut verò demonstraretur quàm sit fortis & bellatrix hæc Evangelica doctrina, expende hujus Angeli fortitudinem; à qua fortis appellatur: Vidi Angelum fortem, Gigantem potentissimum igneis columnis innixum, iisque pro pedibus progredientem; instar Leonis rugientem, cujus rugitum septem sunt secuta tonitrua. Quæ omnia virtutem prædicationis Evangelicæ perspicuè commendant. Quod autem ait, clamante seu rugiente potius Evangelico Angelo, septem de cælo personuisse tonitrua, allusionem fecisse ad Psalmum vigesimum octavum meritò docet noster Alcazar ductus exactissimâ similitudine septem horum tonitruorum, de quibus Joannes, & totidem caelestium vocum, quas eo Psalmo explicat Regius Cantor, atque de Evangelica prædicatione exponunt Sanctus Athanasius, Eusebius Cæsariensis & alii. Et quidem sicuti septem tonitrua divinam Evangelicæ doctrinæ virtutem expriment, cujus terrorem potentissima quoque fulmina consequi cernimus, ita Davidis septem illas voces haud inferiores secuti sunt effectus. Vox Domini super aquas: Deus Majestatis intonuit: Dominus super aquas milias. Prædicationem dicit Evangelicam Baptismati, id est, aquis multis de more conjugendam. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros, &c. Latè describit Evangelicæ prædicationis fortitudinem ad Gentium conversionem. Quod confirmat illa

Isaia. 6. 9. 2294 Isaia 9. 6. appellatur Christus admirabilis consiliarius, & Deus fortis, Hebraice heros fortis, validus quasi Gigas. Etenim consiliarius nominatur, vel ut LXX. reddunt, magni consilii Angelus, quia est ipsa Dei Patris Sapientia, Doctor Angelorum & hominum, ut explicat Clemens Alexandrinus sexto Stromatum. Vel consiliarius vocatur; quia, ut ait Sanctus Iustinus contra Tryphonem, Patrem nemo novit nisi Filius, qui que à Patre accepit, revelat nobis, ipse Verbum Patris, ipse mundo Evangelizavit. Ideo magni consilii Angelus, nuntius, legatus. Ituc Christi Evangelicæ sapientiæ, & doctrinæ ad sociat Isaia bellicam & Giganteam ejusdem fortitudinem, qua mundum expugnavit universum, & potentissimum diaboli regnum evertit. Quod præsignatum, ait idem Vates, Gedeonis triumpho de Madianitis reportato, non nisi tubarum clangore, & ardentibus lampadibus in vasis testaceis: utrumque enim ad Evangelicæ prædicationis virtutem referunt Ecclesiæ Doctores: Designatur in tubis clamor prædicantium, ait S. Gregorius libro 30. Moralium capit. 17. Præfiguravit Deus (addit S. Augustinus quæstio. 49. in Judices) sanctos suos thesaurum Evangelici luminis in vasis fictilibus habituros. Rectè ergo Isaia Christum fortissimum Dei consiliarium commendans: Jugum oneris ejus (quo Gentes à peccato & diabolo premebantur) & Virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superastit, sicut in die Madian. 2295 Consonat Isaia vaticinio Apocalypica visio capit. 10. ubi describitur ille idem magni consilii Angelus Christus Dominus vel in se, vel in suis prædicatoribus, librum Evangelicum manu tenens symbolicè adumbrantem, Christianam doctrinam à mundi Magistro traditam: Et habebat in manu sua libellum apertum. Ut verò demonstraretur quàm sit fortis & bellatrix hæc Evangelica doctrina, expende hujus Angeli fortitudinem; à qua fortis appellatur: Vidi Angelum fortem, Gigantem potentissimum igneis columnis innixum, iisque pro pedibus progredientem; instar Leonis rugientem, cujus rugitum septem sunt secuta tonitrua. Quæ omnia virtutem prædicationis Evangelicæ perspicuè commendant. Quod autem ait, clamante seu rugiente potius Evangelico Angelo, septem de cælo personuisse tonitrua, allusionem fecisse ad Psalmum vigesimum octavum meritò docet noster Alcazar ductus exactissimâ similitudine septem horum tonitruorum, de quibus Joannes, & totidem caelestium vocum, quas eo Psalmo explicat Regius Cantor, atque de Evangelica prædicatione exponunt Sanctus Athanasius, Eusebius Cæsariensis & alii. Et quidem sicuti septem tonitrua divinam Evangelicæ doctrinæ virtutem expriment, cujus terrorem potentissima quoque fulmina consequi cernimus, ita Davidis septem illas voces haud inferiores secuti sunt effectus. Vox Domini super aquas: Deus Majestatis intonuit: Dominus super aquas milias. Prædicationem dicit Evangelicam Baptismati, id est, aquis multis de more conjugendam. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros, &c. Latè describit Evangelicæ prædicationis fortitudinem ad Gentium conversionem. Quod confirmat illa

Christus Angelus fortis in Evangelio Evangelicæ doctrinæ ad sociat Isaia bellicam & Giganteam ejusdem fortitudinem.

S. Iustin.

In Gedeonis militibus Evangelici buccinatores designati.

S. Gregor.

S. August.

Christus Angelus fortis in Evangelio Evangelicæ doctrinæ ad sociat Isaia bellicam & Giganteam ejusdem fortitudinem.

Evangelii terrifica tonitrua.

Pl. 19.

à Christo facta Apostolis prædictio Luc. 21. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. 2296 Præclara etiam ad rem est ejusdem Davidis vaticinatio Psal. 67. 12. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Evangelizantes appellat Evangelistas, Apostolos, virosque Apostolicos, quos veru immediatè antelapso animalia Dei appellaverat, Hebraicè stationem, castra, congregationem, seu societatem. His autem ad Evangelium promulgandum, & mundum Christo subjiendum verba potentissima à Deo promittuntur: verbum virtute multa. Symmachus legit: Sermones evangelizantibus exercitu multo. Sanctus Hieronymus: sermonem fortitudinis plurima. Felix, & Clarius appositorie vertunt: verbum evangelizantibus virtutem multam; ut virtus multa periphrasis sit verbi Evangelici. Itaque Evangelizantibus suis dabit Deus non nudum verbum, sed magna cum fortitudine, virtute, & efficacia; verbum efficax, forte, robustum, quo res perficiant admirandas, sicque fidei persuadeant veritatem, atque ei demum vel rebelles maxime subiciant. Rectè hic Cassiodorus: Ipsum Evangelium multarum constat esse virtutum; quid enim fortius, quam animas salvare? 2297 Quod Psalmus hic prædixerat, objectum postmodum fuit Ezechielis oculis sub obscuro ænigmatè quatuor mysticorum Animalium, seu Cherubimorum, omnes Mundi oras intuentium. Hæc porrò illa eadem sunt animalia, de quibus David: Animalia tua, statio militaris tua, castra tua habitabunt in ea: nempe Evangelizantes, quibus datum est Verbum Dei potentissimum ad instar exercitus numerosi. Quæ eximia fortitudo egregiè indicatur vers. 24. illis verbis: Et audivam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei, cum ambularent. Procedentibus viris Apostolicis caelestem pluviam, tonitruorum fragore spectatam dicit, ut caelestem sapientiam, fortissimum Evangelicæ doctrinæ sonum, qui audientes confertat, significaret. Quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum. Uno nimirum incedente volante, fulgurante, tonante Cherubino, plenum putasles Cherubimorum exercitum, tota crederes Dei castra. Tantam Evangelistis, Evangeliorumque concionatoribus virtutem ac fortitudinem caelitus tribuendam agnoscebat Ezechielus. Quid mirum si verbum illis à Deo datur imbutum quidem plurimâ virtute ac robore, quasi exercitu multo? Vide si huic spectet Cherub etymologia: significat enim multitudinem scientiæ: vel sapientem, Magistrum, nec non fortem, pugnantem: ut vel ipso nomine portendatur quàm sit fortis & bellatrix Christiana sapientia, & Evangelica doctrina. 2298 Extat pro instituto nostro egregium Davidis testimonium Psal. 44. 10. Astiit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Verbum astiit, militare est, & ad milites statarios & prædiciarios spectans, qui stantes, seu adstantes dicuntur Nahum. 2. 7. & miles caprivus abductus est. Hebraicè, & stans, vel pro vallo in statione consistens. Astare dicitur hæc Regina, ad instar strenuissimi, ac fortissimi militis, à dextris Christi, aureo planè ac diversicolori amictu exornata. Sed quæ hæc tam fortis, & strenua Heroïna?

Pf. 67. 12.

Verba prædicatorum potentissima.

Symma.

S. Hieron. Clarius.

Cassiod.

Bellipotentes Ezechielis Cherubini Concionatores Evangelicos spectant. Ezech. 1.

Pf. 44. 10. Evangelica Sapientia, fortis, & strenua Heroïna, bellatrix Regina à Christi dextris.

Richardus Victor. Heroïna? tam stataria & bellatrix Regina? Richardus de Sancto Victore putat esse ipsam sacram Scripturam, quam sic alloquitur: O sapientia cunctarum ancillarum scientiarum Regina, quæ semper astas à dextris Dei in vestitu deaurato circumdata varietate. Et nunc ut præco ante Regem, nunc verò ut vox ante Verbum, nunc ut justitia coram Deo, nunc ut lex coram prætorè, mira officiorum varietate vestiris. Tu quidem lex immaculata, tu testimonium Domini fidele, tu justitia recta, tu præceptum lucidum, ac totius divinitatis nuncius diceris, & inceptor. Tu promulgas præcepta, tu suades optima, tu premia polliceris. Quò videtur spectare Chaldaica translatio priora verba sic effersens: Stabit liber Legis in latere dextera tue. Certè, cum Psalterium Christum commendasset Regem à bellica fortitudine, à gratia labiorum sapientissima, non absque militari instrumentorum apparatu, gladiatorum, & sagittarum; nunc, ut Evangelicam ejus doctrinam, vel sacris conscriptam litteris, vel Apostolicâ prædicatione evulgatam, debito prosequatur honore, illam consulatissimo à dextris tanti tamque fortissimi Regis adstantem collocavit, ut fortissimam Reginam, egregiam bellatricem, & quasi ipsius Regis militem statariam, ac prædiciariam; per quem suæ Ecclesiæ hostes expugnat, fidem propugnat, & terrarum orbi dominatur. 2299 Si verò, ut fert communis interpretatio, Reginam hanc intelligas Ecclesiam Orthodoxam, Regis Christi sponsam; verè illa à dextris tanti sponsi astare dicitur, firmissima quidem, constantissima, immobilis instar columnæ, ut Græca sonant; verè ut miles statarius, & bellatrix egregia. Sed qua fortitudine, quibusve armis cataphracta? Uti que in vestitu deaurato circumdata varietate. Itanè unâ aureâ & picturâ chlamydè obarmatur? Num ornatus lenocinio roboratur, & à vestimentorum fastu valentissima & pugnacissima? Ita planè: nam solet quandoque ornatus armare robustissimè, ut Genes. secundo, v. primo dicitur: Perfecti sunt caeli, & terra, & omnis ornatus eorum, Hebraicè & omnis exercitus eorum, quasi ornatus ad instar fortissimi exercitus sit. Depone ornatum tuum, habes Exodi trigesimo tertio, v. sexto: pone arma, multi explicant. Benè hoc fit: at expendas rogo quid arcanè fuerit Ecclesiam bellatricem astare in vestitu deaurato circumdata varietate. Hunc vestitum Hesychius putat esse Christi Evangelium: Sanctus Augustinus, Rufinus, Hugo & alii, ipsam Evangelicam sapientiam, sacris contentam Scripturis. In ipsa autem varietate (ait Augustinus) aurum quid est? Ipsa sapientia: non dixerunt aurum, sed varietas de auro. Consonat Sanctus Basilus, qui aurum explicat Scripturarum textum; varietatem verò diversitatem sensuum historicorum, tropologicorum, & anagogicorum. In vestitu deaurato, hoc est, in dogmatibus spiritali intelligentiâ subtextis, & variegatis floribus interstinctis; sese graviter componens, & adornans religiosè. Quod enim non uniformia sunt quæque dogmata, sed horum species multitudine ac multimoda sunt, ut quæ in se recipiunt sermones, & complectuntur morales & physicos, ob hoc vestem sponse indicat Scriptura varietate picturatum. Et in breviori Com-

Richardus Victor.

Chaldæ.

Chaldæ.

Ecclesia pulcherrima & robur ab Evangelica doctrina.

Gen. 2. 1.

Exod. 33. 6.

S. August.

S. Basil.

mentario ad eundem Psalmum, pressius ita: At non dicit: aurum, sed deauratum, propter doctrinæ varietatem. 2300 Vides, Ecclesiæ vestimentum quod & quale sit? Aureum est, & varium, sed aurum, ex quo conteritur, Scripturarum textus est, ipsa Evangelica doctrina est: varietas autem ad multivaria spectat dogmata, & sensuum varietatem, qua nihil est venustius; sed eâ venustate, qua nihil est fortius, nihil validius, nihil potentius. Aurea hæc, ac diversicolore Evangelicæ Sapientiæ & doctrinæ Cyclade apparet Ecclesia & venustissima & valentissima; verè ornata, sed armata robustissimè. In vestitu deaurato circumdata varietate. Transferas cum Sancto Hieronymo in hunc Psal. & ad caput vigesimum septimum Ezechielis versu decimo sexto, Scutulis circumdata. Solet autem scutum pro tota armatura sumi, Proverbiorum sexto, v. undecimo, Vir armatus; Hebraicè, vir sancti. Unde circumdata scutulis erit undique armata, armis undique munita; doctrinâ nempe Evangelicâ & Christianâ sapientiâ, quæ bellatrix fortissima cum sit, fortissimam bellatricem efficit Ecclesiam, & hostibus terribilem. Scitè proinde Sanctus Petrus Damianus, ajebat libro sexto Epistol. vigesimâ nonâ. Mens tua divinis se voluminibus occupet, his intentâ pervigili semper instantiâ perseveret. His antiquis insidiator cum te vidit intuentem, velut hostem fugit armatum; & timet continus aggredi, donec te conspiciat his telis, & impenetrabili lorica muniti. His adijunge illa canticorum verba capite quarto, v. quarto, Sicut turris David collum tuum, quæ adificata est cum propugnaculis: mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium. Nam per hanc turrim, quæ erat quasi bellicum armamentarium, sacram Scripturam accipiunt Justus Orgelitanus ibi, & Sanctus Gregorius Homilia decima quinta in Ezechielem, ubi latè ostendit ex divinis litteris petendam omnium armorum panopliam ad debellandos omnes errores & praves mores. 2301 Parenti suo Davidi in eo Psal. quadragesimo quarto, v. decimo, præclare alligatur Rex Salomon Proverbiorum trigesimo primo, v. decimo, Mulierem fortem quis inveniet? Ex Hebræo veritas: Mulierem exercituum, roboris, fortitudinis. Quænam verò hæc tam fortis Heroïna, ut una cum sit, ad instar exercitus sit armis periti, & muniti? Arridet Rabbi Salomonis mens, cui applaudit, & adhæret Lyranus: existimant enim per hanc fortissimam sceminam intelligi sacram ipsam Scripturam, quæ continet firmam & inviolabilem veritatem. Forfan ea de causa præclaras hujus Heroïnae dotes alphabetario carmine describit Salomon, ita ut singulis versibus singulæ litteræ Hebraici alphabeti suo præponantur ordine; quasi litteratissima commendetur Mulier, per quam sacræ protendantur litteræ, atque adeo omnis inspirata Scriptura, & doctrina Evangelica. Hæc quidem bellatrix est, pugnacissima, valentissima. Unde de ea subdit: Sponsus non indigebit: id est, fortitudine suâ spolia referet ab hostibus amplissima. Accinxit fortitudinæ lumbos suos. De cingulo, seu baltheo militari est sermo, quo ad opera heroïca, seu miles strenuissimus ad prælia se accinxit.

In Evangelica sapientia omnis armatura ad debellandos hostes.

S. Petr. Damianus.

Cant. 4. 4.

Prov. 31. 10. Sacra Scriptura Mulier fortis & bellatrix.

Lyranus.